

B. N. II, 169.
S. 46, 16.

X 1880623
Q. D. B. V.

II A
4850

De

EXEQVIIS PRINCIPUM,

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
indultu,

D. XXI. Julii Ao. M DC XCIV.

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS Gottlieb Meisters /

Schol. ad D. Nicol. Senatoriæ Rectoris,

HEINRICUS CRUSIUS, Chemn.

Autor & Respondens

differet,

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Literis JOH. GEORGI.

*Ed. tot. Le. Lanthorn
32. 32*

1711

G. D. B. N.

De

HEXAGONIS

PRINCIPUM

Arithmeticae Philosophicae

in

D. K. A. M. No. M. DC. XCIV.



M. JOHANNES

Schol. ad D. Nicol. Semitoris Regis

HENRICHES CRISTIANUS Chemn.

Aut. G. Respondens

in

H. L. G. C.

1711

M. JOH. GEORGI

1711





PROOEMIUM.

EXequias *Principum* (in latiori significa-
tu accepto hoc vocabulo, ita, ut sit Dignitatis nomen,
quod eimen Regenten / sive sit Imperator, sive Rex, seu
denique Dux & Princeps eimen Herzog &c. denotet)
levi quidem penicillo adumbrare in animum
induxi meum. Nec mirabitur forte meam scribentis
audaciam, qui in memoriam revocat, quæ paucis ab-
hinc diebus celebritas ob oculos versabatur nostros.
Exequias ibamus PATRIÆ NOSTRÆ PATRIS,
GLORIOSISSIMÆ RECORDATIONIS PRINCIPIS,
& licet fatis eo tempore lacrymarum effundebamus:
ulterius tamen indulgendum esse pientissimo dolori, ca-
vendumque, ne Clementissimi hujusce Electoris me-
moria unquam animis nostris excidat, persuasum ha-
beo. De Ægyptiis, si non omnibus, aliquibus tamen hi-
storiarum monumenta produnt, quod corpora defun-
ctorum neque cremaverint, neque mandaverint ter-
ræ. Condita nimirum ea atque exsiccata domi in con-
clavibus & lectulis asservabant, mensisque itidem admo-
vebant tanquam convivas v. Ciceron. l. Tuscul. Pompon.
Mel. de Situ orb. lib. I. c. 9. unde Silius Ital. Lib. XII.

Ægyptia tellus

Claudit odoratopost funus stantia saxo

*Corpora, & à mensis ex sanguem haud separat um-
bram.*

De Sinensibus idem refert *Er. Francisci. in Augl. Kunst- und Sitten-Spiegel Lib. VI. Sect. 1.* Quod ii convocatis propinquitate sibi junctis, sæpius ipsum vita nuperime defunctum adhibuerint in convivium. Eundem blandissimis compellabant verbis, utque cibos, ut potum capiat, ut communi perfruatur lætitia, crebro adhortabantur. Sed mittamus vanissimam isthanc gentiliū pietatem: nos devotissimis nostris pectoribus, non amplis conclavibus, non preciosis lectulis, non apparatus opipare epulis, quibus nequaquam indiget æternis gaudiis exsatiata anima, Principem excipimus atque immortalī subjectissimæ gratitudinis cultu prosequimur. Non igitur abs re alienum videbitur, si eadem pietate ductus, solas hætenus Principum exequias cogitaverim, quas breviter, allatis, quæ in promptu fuerunt, quæque chartarum angustia capit, exemplis delineabo, Benevolum Lectorem, ut æqui bonique ea consulat; Deum vero ter Opt. Max. ut largitur successum, precatus sedulo.

I.

Splendidissime ab ipsis Imperiorum primordiis elata esse defunctorum Principum corpora, atque adeo cadaverum aliquam veluti majestatem, à subditis venerabili cultu excipiendam, extitisse: nemo, nisi quem omnia fugiunt, ignorabit.

II.

Equidem Magnorum in Historiis Principum mentio sit, qui nescio, quo funebris pompæ tædio ducti, humili & à vulgari consuetudine minus abhorrente cultu maluerunt reponi. Cyrus Persarum primus Monarcha, lauto ac sumtuoso funere, monumentoque maxime conspicuo posthabito, in mandatis dedit suis: *Mei, inquit, pueri, cum deceſſero, nolite neq; in auro, neq; in argento, neq; in alio aliquo lapide*

lapide collocare corpus meum, sed illud Terræ reddite quæ primū, vid. Xenoph. Lib. III. Cyropæd. Epitaphium ejusdem Cyri, quo viatores ad suum appulso sepulcretum rogat, velint ipsi securam præstare quietem, nec tantillum invidere terrarum, Plutarch. in Vita Alexand. Tom. II. Vit. exhibet. Saladinus, celeberrimus iste Orientis Dominus, morti vicinus testamento cavit, ne regali efferatur pompa, sed lineæ interulæ lacerum fragmentum (vel juxta alios, atrii coloris obsoleta, tunica) sibi anteferatur, pronuntiante quodam ad populum hujus sententiæ epiphonema:

*Floruit in toto qui Rex Oriente superbus,
Hunc nisi panniculum possidet ecce nihil.*

III.

Extant præterea non nullorum Imperantium exempla, qui exequiarum honore plane non tractati sunt, si scilicet in tyrannos degeneraverant, vel alio quocunque modo male de Republica fuerant meriti. Sic Vitellius Imp. post varia ludibria tandem apud Gemonias (Scalas) minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus & inde unco in Tyberim detractus fuit teste Svet. c. XVII. Heliogabalus in cloacam missus atque in Tyberim præcipitatus est, uti habet Sext. Aurel. Vict. & Lampridius, quorum ultimus: *Non sepulchra, inquit, merentur, qui amorem Senatus, populi ac militum non merentur.* Eadem poena inter Israelitas domum Jeroboami mansit, cui Deus ob idololatriæ gravissimum crimen sepulturam denegavit: *Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cæli, quia Dominus locutus est 3. Reg. XIV. 10. Jefabel, Achabi uxor propter persecutiones, cædes & impietatem canibus dilaniabatur 4. Reg. IX. 10. 35. 36. 37. Regem Jojakim ob scelestissima facinora, quibus se adstrinxerat, extra portas Hierusalem projectum & putrefactum, sepultura asini sepultum iri, prædixit Jeremias XXII. 19.*

IV.

Dantur & alii Principes, qui nihil tale meriti, per aliquod temporis spatium, supremo isthoc honore caruerunt. Olympias certe cum inaudisset, filium Alexandrum M. diutius sepulturæ honoribus exutum jacere, gravissime indoluit, in hæc maxime verba erumpens: *ô fili, tu quidem cælum tibi vendicare satagebas; at nunc quæ ceteris ex*

æquo communia omnibus censentur, ne iis quidem potiri potes, terra & conditorio: *Ælian. lib. XI. c. 30. C. Rhodigin. l. XI. c. 18.* Idem eveniebat Atheniensium summo Duci, quem cives istius innoxium plecti, quam diutius esse in timore malebant *vid. Nep. I. 8. 4.* Hic enim cum litem æstimatam populo solvere non posset, eamque ob causam damnatus in vinculis publicis decessisset, nec per leges liceret funus efferre, nisi pensitata pecunia: Cimon. fil. ut à Parente averteret hanc ignominiam, vincula subibat, quibus hic ligatus fuerat. Inde egregia illa laus Cimonis apud Valer. Maxim. Lib. V. cap. 4. *Nec te quidem, Cimon, silentio involvam, qui Patri tuo sepulturam voluntariis vinculis emere non dubitasti*

V.

Sed quæcunque ea sunt, usu tamen atque consuetudine apud omnes ferme gentes receptum est, ut funus Principum suorum, qui supremum obierunt diem, ea, quæ Reges decet, magnificentia deducant. Ut vero procedamus distinctius, de iis primum dispiciemus, quæ Regii funeris *ἐκφορὰν* seu supremum officium ipsi exhibendum antegredi solent. Memoriam vero præ cæteris subit amplectendi illa atque osculandi consuetudo, qua sanguine proximi prosequerentur eos, qui animam agebant, atque in extrema vitæ tegula constituti erant. Sic Augustum, Maximum illum Terrarum orbis Imperatorem, in osculis Liviae defecisse Sveton. in vita ejus autor est. Oscula autem morientibus figere prisco more consueverunt, partim quia, ut peregre abeuntes, sic quoque ex hac vita emigrantes osculo dimittendos esse censebant; partim quia exeuntem animam hoc modo excipere apposito, hiatu & in se transferre se posse stulta credebatur gentilitas, *vid. Alex. ab Alexandro & Tiraqv. in eundem annotat. Genial. Dier lib. III. c. 7. Itemque Kirchmannum de F. R. Lib. I. c. 5.* De cætero quod attinet annulorum à digitis mortuorum detractionem, oculorum compressionem, corporis lotionem, pedum, brachiorum, aliorumque membrorum decentem compositionem &c. ea in medium afferre non lubet, propterea, quod cum plebejis hominibus communia fuerint Principibus, vide tamen sis. *Plin. lib. XXXIII. c. I. circa finem Koxamann. de Miracul. Mortuor. Part. VII. c. 9.*

VI.

Pergimus itaque ad defunctorum exenterationem, uncturamque, quam

quam vel ideo præterire silentio nolumus, quia hodieque tale quid ante elationem virorum Principum suscipi consuevit. Equidem litem eam non facimus nostram, utrum scilicet a Persis, primum per Alexandrum Magnum devictis, usus unguentorum ad Græcos Romanosque transierit, quod *Plin. N. H. lib. XII. c. 1. videtur* asseruisse; an longe ante devictum Darium unguenta vel in ipsa funeratione a Romanis fuerint usurpata, quod ex *Leg. XII. Tabular.* servilem uncturam prohibentibus colligere nonnulli accuratius voluerunt. Id certo certius constat, quod Ægyptii præ aliis gentibus huic unctiōni operam navaverint, atque per eam suorum corpora a putredine quam diutissime immunia præstiterint. Modum vero condiendi Ægyptiacum Historiæ Parens (uti *Cic. I. de Legibus* ipsum appellat) *Herodotus medio Lib. 2.* describit. Verba ipsius in compendium missa ita sese habent: *Apud Ægyptios homines certi sunt, ad hoc ipsum constituti, qui illis, (qui sumptuoso efferrī funere voluerunt) ferro incurvo per aures cerebrum educunt, ejusque locum medicamentis & olearibus expleunt: Dehinc acutissimo lapide ilia conscissa & alvum omnem extrahunt, quam post repurgationem iterum in sedes suas reponunt, ac infartis odoribus consuunt. Postea saliant per septuaginta dies, quibus ex actis cadaver abluunt, sindone totum involvunt gummi illinentes & in ligneam hominis effigiem ad hoc factam includunt, atque ita reponunt &c.* Exempla eorum, quos condiverant, Principum innumera suppeterent, sed pauca saltem hic loci adduxisse sufficiant. De Justiniani Imperatoris funere ita *Corrip. Lib. 3.* cecinit.

Thura Sabæa cremant fragrantia mella locatis

Infundunt pateris & odoro balsama succo,

Centum aliæ species unguentaque, mira feruntur,

Tempus in æternum sacrum servantia corpus.

In Peruvia ejusque metropoli *Cusco* Hispani Regum defunctorum corpora per aliquot secula ab omni carie illibata offenderunt. Præ cæteris obstupuerunt isti inspicentes *Yupangi Pachacuti* Regem septuaginta, & quod excurrebat, annos antè denatum, qui non modo vividum in facie colorem præ se ferebat, sed ne capillus quidem ipsi defluxerat. *Erasm. Franc. Musl. Kunst und Sittenspiegel Lib. VI. Sect. 1.*

VII.

Non vero alœ tantum & myrrha cæteraque aromata, quæ in superiori adduximus thesi, sed & aliæ res unguendis corporibus fuerunt adhibitæ

hibitæ. P. Babylonios certe cadavera sua melle condidisse *Herodot. lib. I.* memoria tradidit. Alexandrum quoque M. hoc modo conditum historici produnt, ut scilicet integer atq; incorruptus servari posset. Mellis enim naturam talem esse dicunt, ut putrescere corpora non sinat, teste *Plin. Lib. XXII. c. 24.* quæ tamen Medicis scrutanda relinquimus. De Agesilao *Cornel. Nepos* ait: amicos Agesilaum vita defunctum, quo ex portu, qui Menelai vocatur, inter Cyrenas & Ægyptum Spartam facilius perferre possent, cum mel non haberent, cera circumfudisse atque ita domum retulisse. Gypso æthiopes induxisse mortuos suos jam jam arefactos, autor est citatus alibi *Herodotus Lib. III.* Et hanc ob causam etiam, scilicet ut cadaver diu incorruptum servaretur, corpora quandoque exenterabant, ut exemptis illis sordium & humorum receptaculis ab omni putredine remotiora & securiora evaderent, quod & hodie in Imperatorum, Regum, aliorumque Principum cadaveribus (uti supra monuimus,) obtinet. Succurrit hic loci, quid de Maximiliano I. Imperatore legisse me memini. Is enim Testamento cavuit, ut corpus putridum sine ulla exenteratione terræ mandarent, & loco aromatum vivam calcem adhiberent, ut corpus putredine natum eò citius in terram suam verteretur. In Regno *Tranziane* dicto unctionis officio plane possunt supersedere. Regum enim & Magnatum suorum corpora ad montem *Culma* deducunt atque in eo recondunt, ubi crebriores venti ita exsiccant humana corpora, ut post multa demum secula incorrupta eruantur. vid. *Vincent le Blanc. cap. 28 in seiner ersten Reise.*

VII.

Absoluto unctionis ritu sepeliendos induebant vestibus, id quod non Græcis solum, sed Romanis quoque aliisque Gentibus innumeris usu veniebat. Vestimentis vero cuique statui convenientibus utebantur: inde apud Lacedæmones honoratiores ἐν πορφύρᾳ, ἐν ποινικῇ, in purpura seu in punicea veste elatos legimus apud *Plutarch. Νομικ. Λακων.* apud Romanos, qui Magistratum publice gesserant, toga prætextata; Censores purpurea; Triumphales auro intexta induebantur, ut docet *Polybius Lib. IV.* Hodierno more, præsertim apud Gentes Barbaras nullus hac in re modus servatur. De incolis Vallis Tunicæ *Benzo. Lib. II. c. 6.* refert, quod è Regum defunctorum collo catenas aureas pretiosissimis distinctas gemmis suspenderint, quas Hispanorum

ava-

avaritia, postquam in easdem terras descenderunt, effractis impie sepulchris & misere dehonestatis corporibus anxie conquisivit. De Rege quodam Sinensi enarrat *Erasm. Francisci Lib. VI. sect. 1.* quod matrem suam, quæ animam efflaverat, incredibili pompa deduxisset, eamque propriis manibus lecto & amplitudine & pretio insigni imposuisset, isto indutam ornatu, quo Regia sponsa in terris hisce pretiosarum rerum omnium affluentibus vestiri solet. Lecti vero dum mentionem injicio, memoriam subeunt, quæ *Joseph. lib. I. de B. 7* in fine habet. De Herodis enim arca ferali verba faciens, *lectus*, inquit, *totus erat gemmis auroq; distinctus, torus autem (s. vestis stragula aut culcitra, qua lectus solet insterni) purpura variatus.*

IX.

Lectulo illatis corporibus, si Principes erant, Romæ à læva parte Patricii & Nobiles vestibus atris amicti; à dextra matronæ nobilissimæ, deposito omni ornatu & vestibus albis velatæ assidebant. *Vid. Chytraum de vita & morte.* Accendebantur quoque ad corpora defunctorum, antequam ad sepulturam exportarentur, faces, lampades, cerei. Sic Constantini M. cadaver in Imperatoriis ædibus cello atque edito loco depositum, luminibusque circa funus aurea super candelabra accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebat, ut refert *Euseb. lib. IV. de vita Constantini M. c. 66.* Testatur etiam *Corippus lib. III.* de cadavere Justiniani nondum elato, ad illud aurea & argentea candelabra, cereis longe lateque collucentibus conspicua, fuisse apposita.

X.

His rite peractis, funus tandem efferebatur, ubi de iis, qui feretra suis deportabant humeris, eademque concomitabantur, paucis erit dispiciendum. Deferendi aliàs funus plerumque proximis hæredibus, virilis sexus, dabatur munus: inde *Horatius*:

Cadaver

Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres.

Imperatorum vero aliorumque de Republica præclare meritorum, ut *C. Julii Cæsaris, Augusti &c.* feretra subibant interdum Magistratus,

B

Sena-

Senatores, Patricii, *vid. Dionys. lib. VIII. Sveton. in vita Cesar. Tacit. lib. Annal.* Domitianum vero Imperatorem, alterum post Nerone orbis monstrum, vespillones & sandapilarii efferendis ex infima plebe hominibus ordinati, cum ingenti dedecore exportabant. *Vid. Eutrop. lib. VII. & Sveton. c. XVII.* Israelitæ mortuos suos itidem portabant humeris. *Regum funera (Schickardus ait de jure Regio Hebraor. c. VI. p. 160.) fuerunt in humeris per longissimam saepe viam exportata: qui honor ne malis quidem Regibus & odio habitis publice fuit denegatus.* Elatum sic esse Herodem per ducenta stadia, itinere sesquitriduano, post pauca ex *Josepho de B. J. lib. I. c. ult.* refert inquit: *Herodem Magnates Israel ferebant suis humeris, tarde ac graviter incedentes, quod nulli alii Regum ita factum.*

XI.

Comitatum quod concernit, ille vel terrâ vel mari transve-
ctum funus sequitur. Cogitanter dixi sequitur, quia funeris olim ca-
lex fuit, teste *Alex. ab Alexandro lib. II. c. 7.* ut præcedente pompa fu-
nebri, vivi sequerentur, tanquam haud multo post morituri. Equi-
dem aliarum gentium moribus aliter quoque res sese habet, uti ex
allato exemplo constabit inferius. Sequebantur vero funus, in ter-
rarum orbis principe Roma Senatus universus, equitum turmæ, si
quando Regum aut Imperatorum aliorumque, qui de republica opti-
me fuissent meriti, funus deportaretur. Adest, inquit *Tholosanus Syn-
tagm. Juris Universi lib. II. c. 14. num. 15.* & pompa & exequiarum ma-
jor solennitas in sepeliendis viris de Republica bene meritis, ut in Lu-
cilio Longo funus factum *apud Cornelium Tacitum libr. IV. Octav.*
Augusto apud Dionem Cassium lib. 48. Histor. Roman. Procedebat
funus more prisco, sequebantur homines, quasi post ipsum defun-
ctum morituri &c. Sinenfium quid. Rex Parenti suæ justa soluturus una
cum conjugibus, filiis filiabusque Regiis nec non cæteris, quibus pro-
pinqvitate jungebatur omnibus, feretrum sequebatur. Ast ubi perven-
tum erat ad extremam basilicæ portam, Rex in faciem prolapsus supre-
mum Matri suæ dicebat vale, & indecorum ratus, si gravissimo isthoc
luctu oppressus arcis suæ limites transscenderet, in interiorem re-
giæ domus partem revertabatur. *Vid. Francisc. Sitten-Spiegel. lib.*
VI. p. 1151. De Rege cujusdam Siamensis filia Principe idem autor ob-
servat,

servat, quod ipsius funus frater natu maximus, elephanto vectus antecesserit. Utrumque latus bis septem liberi regii, candido induti lintheo & palmarum præ se ferentes furculos premebant. Feretro proximi ibant Principes regni gente pariter atque autoritate digniores una cum uxoribus suis. *Vid. lib. VI. Sect. I. p. 1497.*

XII.

Dixi supra, quod deducendi quoque funeris in navibus aliqua detur solennitas, quod ipsum videre est exemplo Demetrii, Antigoni filii Regis Asiæ. Istius cineres, per triennium in Chersoneso detentos, accersere tandem jusfit Antigonus filius idque tot navium splendidissime exstructarum comitatu, quotquot per universum regnum cogi tunc temporis poterant. Ipsas Demetrii reliquias cistæ aureæ inclusas ex singulis urbibus, quas prætervehebant, gravissimi viri, ad id delegati comitabantur, ut interessent regiis istis exequis, & pompam funebrem augerent. *Vid. Plutarch. in Demetrio Tom. III. vitæ Parallel. De Si-amenfi quodam Rege Fernand Mendez Pinto memoriæ tradidit, quod post suprema fata in cineres redactus arcam impleverit argenteam. Hanc prætorix inferebant navi, quam Cabizendam vocant incolæ, insequentibus navigiis quadraginta, quæ sacerdotes; centum majoribus, quæ idola, & innumera alia, quæ ministri aulici ac universus occupaverat populus. Conspiciebatur insuper egregiæ formæ puerulus, qui theatro cuidam impositus vestibus, armillis, catenis, quin & alis auro pretiosissimisque lapillis distinctis angeli, s. tutelaris Dei munus obibat, arcens a funere regio malorum geniorum, quas adesse putabant, infensissimas turmas &c. *Vid. Aut. supra citat. Voyages Adventureux chap. 184.**

XIII.

Haftenus de solenni isto comitatu, qui funus elatum insecutus est, de iis nunc videndum breviter, quæ lectum feralem antecedere consueverunt. Apud Romanos plures instrati lecti in pompa funebri antebant per sæpe, sicut de Sylla, cui sex millia, & Marcello, cui sexcentos lectos prælatos legimus. In exequiis Imperatorum, Principum ac Nobilium præferebantur insignia honorum, quos gessissent in vita, sed in-

verſa, ut faſces, ſecures, arma, vexilla atque urbium dona, ſpolia hoſtium, ſimulacra gentium urbiumque ſubactarum, expreſſæque cera majorum imagines longo ordine. Exempla pete *ex Alex. ab Alex. it. Kirchmanno de Fun. Rom.* In Galliis id obſervari, ut in funeribus Regum & liberorum Regiorum præferantur non quidem majorum, ſed ipſorum imagines ad vivum repræſentatæ, *Andreas Tiraquellus refert Tom. I. oper. cap. 20. de Nobilitatis prærogativis & privilegiis num. 150.*

XIV.

Reſtat, ut de iis non nihil ſubjiciamus, qui Muſicam exercentes comitabantur funus, ubi primo ſe offerunt Siticines, ſic dicti, quod apud Sitos, h. e. ſepulchro conditos (vel potius condendos) cantarent, ut annotavit *A. Gellius Noct. Atticar. lib. XX. c. 2.* Adhibebantur & Præfici: Hæ aſſa voce, illi (Siticines) instrumentis canebant, tubis ſcilicet tibiisque, quarum frequens fuit in Græcorum Romanorumque funeribus uſus, quod ſatis prolixè probat *Kirchman. Lib. II. de F. R. cap. 4. & 5.* Certe *Homerus Iliad. ω.* refert, cum cadaver Hectoris in urbem allatum ac lectis penſilibus impositum eſſet, ad fuiſſe *αοιδῶς Ἰφίνων ἐξάργυρος*, cantores luctus principes. In ſupra laudato Demetrii funere Xenophantus, tibicinum tunc temporis omnium clariffimus advocabatur. Is, teſte *Plutarcho*, ſacratiffimam canebat cantilenam, atque ita instrumentorum Muſicorum ſonum disponebat, ut intercedens remorum ſtrepitus gemituum luctuoſiſſimorum ſpeciem præ ſe ferret. *Vid. Plutarch in Demetr. Tom. 3. Vitar. Parallel. p. m. 126.* Rex Tunchitanus in honorem defunctæ Parentis viginti octo turres, æquo à ſe invicem ſpatio diſtantes, exſtrui curabat. His varii generis bruta, boves ſc. capros, ſues, aves &c. includebat, quæ animantia diuturna fame eo adigebantur, ut audito ſacerdotum barbarorum incondito ſono, ad unum omnia clamorem intolerabilem, & ſatis quidem tristem ederent. *vid. Dan. Bartol. Part. III. Hiſtor. Aſiat. l. 4.*

XV.

Hæc de iis, quæ funeris ſive combuſtionem ſive ſepulturam, ſeu alium quemvis componendi modum antegrediuntur. Pergimus ad
iſta

ista quæ ipsum hunc actum constituunt atque concomitantur. Ab anti-
 quissimis temporibus terræ illata atque sepulta fuisse, non plebejorum
 modo, sed Principum quoque corpora, nemo vocabit in dubium.
 Tacemus ea, quæ de Sara, Abrahami uxore in sacro sancta vetusti fœ-
 deris historia, *Gen. XXIII. 19.* leguntur. Davidis certe Regum vatuni-
 que sacrorum maximi sepulchrum perseveravit non solum ad ætatem
 Apostoli Petri integrum & incorruptum *Actor. II. 29.* sed etiam ad tem-
 pus Adriani Imperatoris. Nam tunc Regium monumentum magna,
 ex parte corruisse autor est *Dion in Adriani vita.* Ulterius Athenien-
 ses, à quibus non solum leges, sed etiam ritus & ceremonias accepe-
 runt Romani, jam inde à Cecropis, primi ipsorum Regis, tempore cor-
 pora defunctorum terra condidisse, autor est *Cicero libr. II. de L. L.*
 ipsumque Cecropem Athenis in Minervio terræ mandatum, ex Antio-
 cho refert *Arnobius lib. VI. advers. gentes.* Gentium victorem, Ro-
 manum, populum olim ab ortu Urbis defuncta corpora humo conde-
 re neque cremare consuevisse, illud argumento esse ait *Alex. ab Alex.*
Genial. Dier. lib. III. c. 2. quod Numæ Pompilii corpus in arca lapi-
 dea post multa secula à Cneo Terentio in janiculo inventum, vetustis-
 simi autores tradant *Plin. lib. VII. cap. 54.* De Cyro Persarum, Rege
 supra fuit annotatum, quod pueros jusserit corpus, suum cum deces-
 sisset, terræ reddere, idque ex *Xenophont. lib. VIII. περὶ δέσποτος.* In eun-
 dem hunc locum digitum intendit *Cicero lib. II. de L. L. Ac mihi quidem,*
inquiens, antiquissimum sepulture genus id fuisse videtur, quo apud Xe-
nophontem Cyrus utitur. Redditur enim terra corpus, & ita locatum
atq; situm, quasi operimento matris obducitur. Eodemq; ritu in eo sepul-
chro, non procul à fontis ara Regem nostrum Numam conditum esse ac-
cepimus: gentemque Corneliam usq; ad memoriam nostram hac sepultu-
ra scimus usam. Et sane ipsa naturæ humanæ conditio admonuisse ho-
 mines videtur, ut corpus exanime terræ, unde ortum traxit, redderent,
 & sic sponte solverent debitum, quod alioqui vel ab invitis repetit natu-
 ra. Ita enim edixit Deus Adamo *Gen. III. 19. Terra es, & in terram*
reverteris. Ex quo petitum illud *Eccles. XII. 9. Redibit pulvis in terram,*
quemadmodum fuerat. Hinc pia antiquitas: Terra es, terram geris,
 terram teris, in terram converteris.

XVI.

Interjectis deinde temporibus mos comburendi corpora inva-
 luit,



luit, cujus rei rationem *Plinius, natura Bibliothecarius, loc. cit.* super-
 addit. *Cremari, inquit, corpora, apud antiquos non fuit veteris insti-*
tuti: terra condebantur. Ast postquam longinquis bellis erui cognovère,
tunc demum constitutum. Et tamen, pergit Plinius, multæ familiae pri-
scos servavère ritus: Sicut in Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem tra-
ditur crematus: idq; voluisse, veritum talionem, eruto Caji Marii cada-
vere. Sylla, qui mortuorum ossa, Camerarius scribit, in Horis subsec. P. I. c.
3. è sepulchris eruta in fluvium mergi jusserat, moriens se cremari te-
stamento cavit, ne idem ab hoste ludibrium ejus cadaver pateretur, ex
quo apud Romanos inolevit mos cremandi cadavera mortuorum: huc
usq; Camerarius. Exempla Principum funesto isthoc igne absum-
ptorum quam plurima prostant. Imperatores certe Romani exquisi-
tis quibusdam solennitatibus rogis inferebantur suis. Describit eas-
dem Herodianus lib. 4. hunc in modum: Erigebant nimirum conca-
vam & quadratam lignorum struem, singulis lateribus porta addita,
per quam defuncti cadaver conspiciebatur. Supra hanc alia itidem,
quadrata strues erat, sed strictior, quam ibidem adhuc alia magis stri-
cta excipiebat, & quasi scalaribus gradibus adscendi posse videbatur,
ut in nummis & toreumatibus etiamnum conspicitur. Qua amplitu-
dine, quove lignorum bene olentium pretio pyras Regibus suis extru-
ant Siamenses aliiq; orientis populi, Francisci in laudato sæpius libr.
edocet.

XVI.

Sed pyramidalem isthanc molem aliquando propius inspicere liceat.
 Erat super eam ap. Rom. plerumq; aquila resti s. funiculo alligata, quæ
 funiculo isto unà cum corpore combusto volabat in altum, & Impera-
 toris animam in cœlum dicebatur evehere: atque ita in Deorum nu-
 mero eum collocantes, Divi nomine indigitabant, *vid. Guid. Panci-*
roll. Rer. Memorab. s. Deperd. Part. I. Tit. 62. Rogo ipsi inferebatur de-
 functum corpus, quod si Illustr. viri erat, in asbestino involutum adure-
 batur, ne corporis favilla cum reliquo misceretur cinere. *Vid. Panci-*
roll. Part. I. p. 16. Huic recludebantur denuo oculi: *morientibus enim*
oculos operire, rursusq; in rogo patefacere, Quiritium magno ritu sa-
crum est, inquit Plinius N. H. lib. XI. c. 37. Mortuo huic sanguine jun-
 cti (quorum vicem subibant in funere Imperatorum Consules & Ma-
 gistra-

gistratus) facie averfa pyrae facem accensam inferebant. Quod idem in Regno Calicutio foeminarum nobilissimae peragunt teste *Aloysio Cadamusto c. 75.* Rogo jam accenso (in Imperatorum ac illustrium virorum funeribus) militum turba plesq; caetera sinistro gyro ter circumcurfitabat, & Praefica, i. e. planctuum Principis fletibus respondebat. Ritum hunc *Homerus* pariter atque *Virgilius* tangunt: Ille *Iliad.* ♀.

Οἱ δὲ τρις περινεκρῶν εὐτευχας ἤλαταν ἴππους
Μυεόμενοι.

Hic *libr. XI. Aeneid.* in funere caesorum Trojanorum, imprimis Pallantis:

*Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, ter maestum funeris ignem
Lustravere in eqvis, ululatusq; ore dedere.*

Et ejusmodi quidem decursio, Graecis περιδρομή, facta est in funere Augusti, *Dio Lib. VI. Sylla, Appian lib. I. Bell. civil. Pertinacis, Xiphilini, in Severo, & ipsius Severi, teste eodem ibidem.*

XVIII.

Ulterius notandum, quod antiquissimis temporibus varia pecudum & animalium genera, defuncto in vita charissima, ad rogam mactata, ignibusque injecta apud gentiles fuerint. Aliquando & vivi homines, puta captivi vel servi in societatem illustris cadaveris immolati & concremati leguntur, de quo ritu *Tertull. lib. de Spectac. C. de munere.* Nam olim, quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos, vel malo ingenio servos mercati in exsequiis immolabant. Descriptio regni Africani Guineae, quae primum à Batavis edita, refert regni ejus incolas alterum credentes mundum, maximam suppellectilis partem defunctis assignare, ut, quocumque venirent, haberent, quod ad lusus quotidianos necessarium esset. Singulos item Nobiles, qui in aula Regi ministrarunt, eo defuncto mancipium aliquod largiri, ejus ministerio in altero mundo utatur, alii alios, uxores etiam & filios in servitium ipsi mancipare simulque sepelire. *Vid. Den VI. Theil des Oriental. Indien c. 43. & 44. Tauri, gens Scythica, cum Regibus extinctis gratissimos eorum amicos una sepeliunt, inquit Kornmannus de Miracul. Mort. Part. VIII. c. 4. Idem ait c. 9. Scythae, populus,*

pulus, ut Plutarchus refert, cum mortuis Regibus pincernas coquos & pel-
 lices sepeliunt, credo ne quid necessarii officii post obitum eis desit.
 Cum Hephæstio efferretur, cuius funeri Magnus ille Alexander decem
 millia talentorum impendebat, Cossæis bellum inferebat Macedo,
 eorumque sanguine parentabat ministro, de quo antea adstante Syli-
 gambi, Persarum Regis Parente, professus fuerat: Et hic Alexander est.
Vid. Plutarch. in Alexand. p. m. 600. & Curt. III. 12. 17. Guanacapæ
 Peruano Regi cum iusta solveret filius Atagualpa, mille homines; *vid.*
Joh. Ludov. Gottfrieds Histor. Antipod. Part. II. p. 277. Regi Mexi-
 cano, cum idem honor exhiberetur, non servorum modo & mancipio-
 rum grex, sed ipsi fratres, inter paucos defuncto charissimos; *vid. à Co-*
sta lib. 5. c. 8. enecabantur. In mentem hic venit, quid de Lusitano
 quodam, lepido capite, *Erasm. Francisc. Lib. VI. p. 1484.* recenset. Ille
 à Barbaris in captivitatem abductus, spiculi jactu alterum oculorum
 amiserat: Cum igitur, denato Regni istius Domino, Lusitanus abire cum
 eo in alterum mundum juberetur, ille profectiois istius molestiis per-
 tæsus deformitatem faciei causabatur, dicens: Dedecori id futurum esse
 defuncto Principi, si servo monoculo stipatus, cœlestia regna ingrede-
 retur.

XIX.

Non vero homines saltem, qui inservirent post fata Principibus
 suis, mactabantur, ignique ferali, vel sepulchris inferebantur, sed & alie
 res defunctis attribuebantur. Gentiles enim alterum credentes mundum
 maximam suppellectilis partem discedentibus assignabant, ut quocunq;
 venirent, haberent, quod ad usus quotidianos necessarium esset. Re-
 gni Peruani incolæ mortuo Rege sepulchrum exstruunt amplissimum, im-
 mittentes in id una cum Regio funere aurea & argentea vasa, pretiosissi-
 mas vestes, clinodia, & maximam epularum copiam, ut habeant, quod in
 altera vita comedant, quodque aliis apponant secum convivantibus *v.*
J. L. Gottfrieds Histor. Antipod. Part. II. p. 277. De Sinensium quo-
 dam Rege legitur in *Relat. Rerum Notabil. Regn. Mog. p. 9.* quod in fune-
 re ipsius incredibilis auri argentique, aliarumque rerum pretiosissima-
 rum, copia, quas inter gemmam per universum orbem nobilissimam ex-
 titisse dicunt, igne absorpta fuerit. Siamenses, quoties supremo Reges
 suos honore afficiunt, non modo in arca aurea eosdem reponunt, sed &
 omnem

omnem supellectilem auream, & lapillos, quos habuit, pretio & magnitudine insignes, simul cum iis cremant. Extincto autem rogo auri reliquias hinc inde dispersas colligunt, atque idolum ex eo conficiunt, quod postea divino prosequuntur cultu. *v. Erasm. Franc. Sittensp. lib. VI. Sect. 1.* In populo Dei Reges quidem non comburebantur: exempla enim Jorami, 2. Chron. XXI. 19. Assæ c. XVI. 14. & Sedechiæ Jerem. XXXIV. 5. quod concernit, de iis non dicitur in fonte *combusserunt ipsum, sed combusserunt ei*, quod idem est, ac combusserunt in honorem ejus, vel propter, aut super eum. Hinc recte Lutherus: *sie machten über ihm einen Brand it. sie machten ein sehr grosses Brennen* &c. *v. Schickard. de jure Reg. Hebræor. c. 6.* Nihilominus tamen thura cremabant & suffimenta alia ipsaque forte supellectilia, id quod in solius Magnatis, Regis nimirum & Rectoris Synedrii funere accidebat, Thesauros præterea in Regum sepulchris abscondabant, de Davidis enim Mausoleo asseritur, quod ab Hircano ingentibus spoliatum fuerit gazis,

XX.

Pergimus ad lugendi consuetudinem, quâ defuncti desiderium & gravissimum dolorem animi, diversæ gentes diversimode expresserunt. Sic vestimenta sua scindebat David ob mortem Saulis, charissimique Jonathanis 2. Sam. I. 11. itemque Ducis Abneri Cap. III. 31. filiorumque Regiorum Cap. XIII. 31. Experiebantur autem violentem illam scissionem modo pallium, sive vestis exterior, modo tunica sive vestis interior, modo utraque, *vid. Geieri Tract. de Luctu Hebræor. cap. XXII. §. 11. seqq.* Alexander Macedo audita Darii Conjugis morte, haud secus, quam si Parentis suæ obitus nunciatus esset, crebros edidit gemitus: lacrymis obortis, qualis Darius profudisset, in tabernaculum, in quo mater erat Darii, defuncto assidens corpori venit, *vid. Curt. libr. IV. c. 10.* Ob mortem Matris, *prima manu flavos Lavinia crines, & roseas lanianta genas* conspicitur apud Virgil. lib. XII. *Æneid.* Mater Darii audita Alexandri morte, abscissa veste, qua induta erat, lugubrem sumsit, lacertisque crinibus humi corpus abjecit, *vid. Curt. lib. X. c. 5.* Sic Priamus pulvere aspersus Hectoris filii mortem luget, *Iliad. ω.* Hinc Virgil. lib. X. *Æneid.* *Canitiem multo deformat pulvere.* Idem alibi *intonsus multo deturpat cinere crines.* De Scythis refert Herodot. lib. 4, quod in Regum funere aurem (vel, ut *Henr. Stephan. in marg. ponit,*

C

auris

auris partem) decidant , crinem circumtondeant , brachia circumci-
dant , frontem nasumque consaucient , sinistram manum sagittis trajici-
ant.

XXI.

Luctus istiusmodi signum externum est habitus, eo colore tin-
ctus, quem sibi communibus veluti suffragiis provinciæ cujusdam incolæ
ad id elegerunt. Erant autem lugubria vestimenta plerumque colo-
ris nigri, qui color luctui & Tristitiæ semper habitus fuit convenientissi-
mus, *Pullus vestium color sive olim, sive hoc tempore fere funeribus dedi-*
catus, inquit *Bonfrerius Coment. in Deuter. cap. XXI. v. 12. Magna ex*
parte lugentium & aliorum, qui funus sequebantur, vestitus pullus i.e. niger
erat inquit Tiraquell. in Alex. ab Alex. Lib. sæpius adducto p. 309. Pulla
veste amicti erant in funere Augusti Tiberius & Drusus, teste *Dione Lib.*
LV. Atrata plebs in exequiis Germanici *Tacit Lib. III. Annal.* Postea &
color albus signum luctus esse cœpit Romæ, allatis aliis ex peregrinis
regionibus coloribus; unde Herodianus literis consignavit, foeminas Ro-
manas in exequiis Imperatoriis vestibus candidis fuisse usas. *Just. Lipsius*
ad Lib. II. Annal. Tacit. tradit, quod foeminae Romanæ florente prisca
Rep. usæ fuerint in luctu nigris vestibus, albis vero sub Imperatoribus,
Republica extincta.. Mortuo Chlodoberto, Chilperici Regis filio, viri
lugentes, mulieresque lugubribus vestimentis indutæ, ut solet in conju-
gum exequiis fieri, in hoc funus prodierunt, ait *Turonens. Lib. V. Hi-*
stor. Franc. c. 34. Apud Turcas lugubris, nisi ob Imperatoris mortem,
habitus nullus. Dum enim funeris pompa ducitur, capitis involucrum,
pulla ex transverso tænia circumdant, quam eo sepulto confestim detra-
hunt. v. *Job. Bapt. Montalbani Bonon. Comment. Rer. Turcic. p. 49.* An-
glia & Gallia Regibus singulare est, quod in luctu non nigris, uti per
Europam ut plurimum fit, sed violacei coloris vestibus utantur. Ibat
Rex habitu violaceo, hæc Regibus Gallis in luctu vestis, inquit de Ludov.
XIII. Henricum Parentem lugente *Gramond. Lib I. conf. Contin. Thuan.*
Lib. III. Quem tamen Ludov. XII. ad mortem conjugis Annæ cum a-
trato commutavit v. *Hilar. de Coste T. I. des Eloges & vies des Roques & c.*
p. I. p. 10. Et Ludovicus XIV, audita morte Cromwelli, cum in luctu
Galli Reges violaceo colore uti consueverint, atratus incessit Cromwel-
lis causa. *Thuld. ad annum 658. Lib. IX.* quod ille quidem in signo a-
cerbi luctus habet, nos tamen ideo factum cum Becmanno arbitramur,
ut so-

ut solito sibi ac regio luctu indignum esse indicaret. Reginae Gallicae vero colorem castaneam in luctu gerunt : quod tamen limitat *Favyn.* fieri, quoad vivant mariti Reges. Post mortem autem eorum habitu albo usæ sunt, unde & Blancarum nomen Franciæ viduis Regiis tributum *v. Du Haillant de l' Estat des affaires de France Lib. 3.* Non vero homines saltem, sed & loca publica privataque lugubri vestiuntur habitu. De Carthaginensibus *Diod. Siculus* refert, eos in luctus publici signum solitos fuisse muros civitatis nigro circumdare panno. Sic & hodie ad majoris luctus demonstrationem Imperatoris, Regum, Electorum aliorumque Principum mortuorum Palatia, vel certe præcipua in iis conclavia, velantur panno coloris atri, more vetustissimo.

XXII.

De lugubri vestitu satis : sequuntur Orationes in honorem defunctorum habitæ, de quibus id exempli loco observandum. Ductabatur Romæ pompa funeris, si vir illustrior, meritisque in Remp. insignis fuisset, in forum ad Rostra, ibique locabatur. Aderat mox, si per ætatem licebat, filius, vel sanguine junctorum unus, aut deficientibus iis alius vir doctissimus, qui defuncti præconia oratorie persequeretur. Tiberius, ut *Svetonius* fidem facit, novem annos natus erat, quum pro Rostris defunctum Patrem laudaret. Habebatur quidem is honos primum solis viris, translatus vero deinde etiam est ad foeminas. Sic Julia Augusta laudata est pro Rostris a C. Cæsare pronepote, qui mox rerum potitus est, ut refert *Tacit. init. Lib. 5. Annal.* Caligula suam aviam defunctam etiam prætextatus pro Rostris laudavit *Teste Sveton. c. X Fuitq; in usu apud Ægyptios (verba sunt Alex. ab Alex.) Rege defuncto antequam justæ dentur*, per sacerdotem, qui proximam tenebat dignitatem, omnem vitæ seriem, & ipsius dicta factaque, & an fuerit fortissime præliatus, an vero segnis ac deses ex alto suggestu in maximo omnium conventu perlegi & recenseri, & si vitia prævalebant, honore funeris privari atque insepultum cadaver abjici; si vero virtutes præcellerent, omni honore cumulari, unguentis deliniri & laudibus celebrari. Idem paulo aliter tamen ex *Stephano Pasquierio* refert *Limnaus de Jur. Publ. Imp. Rom. Tom. I. Lib. II. c. 12. num. 7.*

XXIII.

Sed missis lugentibus ad ipsum revertimur defunctum, cujus vel cineres vel ipsum cadaver sepulchro infertur : Videbimus igitur de se-

pulchri primum loco, deinceps ornatu. Locum quod attinet, obser-
vandum, quod pleræque gentes mortuos apud se extra urbium po-
mœria recondent. Athenienses de Solonis instituto nullum in urbe
sunt sepulchrum passi, inquit *Melchior Junius Question. Polit. Quest.*
CX. Lege Solonis prohibitum erat, ne intra urbem sepelirentur,
scribit *Cicero lib. II. de LL.* Sic *Dares Phrygius* annotavit, *lib. de exci-*
dio Troja, Priamum Hectorem filium suum, ab Achille occisum, more
suorum ante portas sepeliisse & ludos funebres fecisse. Apud Roma-
nos Rerum Dominos primitus intra urbem humo fuisse coopertos,
qui naturæ concessissent, *Servius* vult, Celeberrimus ille Virgilii in-
terpres ad verba *lib. XI. Æneid. Innumeras struxere pyras &c.* Ast
subsecutis temporibus *Duillio Cos.* Senatus prohibuit & sanxit, ne
quis in urbe sepeliretur: Excipiebantur autem ab hac lege Impera-
tores & Vestæ Virgines: Quia enim legibus non tenebantur, in civitate
habebant sepulchra. Probat id *Prudentius Lib. I. contra Symma-*
chum:

*Et tot templa Deum Romæ, quod in urbe sepulchra,
Heroum numerare licet, quos fabula manes
Nobilitas, noster populus veneratus adorat.*

Patet exinde, plurima Romæ Principum extitisse sepulchra, inter quæ
tamen primo loco nominari merentur, quæ in foro exstrui concede-
bantur. At *diemus Alex. ab Alex. lib. III. Genial. Dier. c. 2.* Is ci-
neres istius, inquit, qui triumphaverat, aut Imperatoris, qui hostes bel-
lo domuerat, vel armis Rempubl. auxerat, in urbem ferre licebat, quibus
hoc honoris causa, ut in foro conderentur, tributum est. Solum ta-
men omnium Imperatorum Trajanum, intra urbem in foro sepul-
tum, esse tradit *Eutropius lib. VIII.* Erant & alia loca publica, in qui-
bus eorum locabantur monumenta, qui præclare de Rep. meriti,
id quod in campo Martio potissimum fiebat. Hinc *Tholosanus Jct.*
selebr. inquit in Syntagm. Juris Universi Lib. XXXIII. cap. 23. In
campo Martio tantum Reges humari consuetum tradit *Appian. lib. I.*
de Bell. Civil. & Herodian. lib. 4. ubi de Sepultura Severi agit &c.
Erant denique viæ publicæ, e. gr. Appia, Aurelia, Flaminia &c. in
quibus Romani sepulchra condebant sua, sive ut iter facientibus inno-
tesce-

tescerent, sive ut prætereuntes admonerent, mortales sese esse, notante *Varrone*, diligentissimo antiquitatis investigatore, *Lib. 5. de Lingv. Lat.* Non vero plebejos saltem homines, sed Imperatores quoque ibidem collocatos fuisse, ex sequentibus patescet exemplis: In via *Appia*, quam *Stattius Reginam* longarum viarum appellat, *Severi Imperat.* sepulchrum extat, teste *Æl. Spartiano in Antonio Geta.* it. *Gallieni Imperat.* tradente *Sexto Aurelio.* Juxta aureliam reconditus est *Galba Imp.* docente *Sueton. in vita.* In via Latina *Domitianus*, autore eodem in vita ejus. In via Lavicana *Didius Julianus Imp.* situs est, ut in vita ejus scribit *Ælius Spartianus.* Ubi Europæorum Principes sua sibi conditoria constituerent, vel in vulgus esse notum, suspicor.

XXIV.

Progredimur itaque ad Sepulchrorum ornatum, atq; ante omnia observamus, *Ægyptios* de structura domorum minus fuisse sollicitos, in adornandis autem sepulchris nihil studii fecisse reliquum, teste *Diodor. Sicul. lib I. c. 51.* Imprimis mirifica & portentosa magnificentia extructa fuerant apud illos priscorum Regum sepulchra, ut apud eundem libri citati cap. 48. & 49. legere est, ubi prolixè describit monumentum Regis *Osymandæ*, quod non modo sumptuum magnificentia, sed & artificum industria cætera antecelluisse dicit. *Mausoli terræ Cariz Regis* sepulchrum memoratissimum, dignatumque numerari inter septem omnium terrarum spectacula, sumptibus plusquam regalibus *Halicarnass.* exstrui jussit *Arthemisia* ejus uxor, ultra affectionis humanæ fidem viri amans, ut loquitur *Gellius Lib. X. c. 18.* vid *Mausoleum* hoc a *Plinio* delineatum *N. H. Lib. XXXVI. c. 5.* De *Danis* *Olaus Wormius Monumentor. Danic. Lib. I. c. 6.* asserit, eos in sumptibus parentalibus faciendis non videri cessisse ulli genti: Id ut probet inter alia adducit exempli loco ex *Saxone Grammat.* *Haraldum*, *Gormonis* fil. qui universum Regni exercitum, boumque numerum ingentem inusitatæ magnitudinis saxo, in *Judico litore* reperto applicuit, quo *Matris* tumulum insigniret. De *Modernis in Oriente* Regibus, deque incredibile eorum in exstruendis Sepulchris luxu evolvi potest citatus sæpe *Erasm. Franc.* *Im ausländis Kunst und Sittenspiegel Lib. VI.* Persvasum enim habent

habent occæcati isti gentiles, diutius sibi commorandum esse in sepulchris suis, quam domibus, quas vivi inhabitant. Inde multo majores exornandis tumulis sumptus impendunt, quam cæteris ædificiis per vitam incolendis. Impium tamen & cruentum esse sepulchrorum ornatum, quo gaudent Reges Qvineæ, nemo, cui mens sana in corpore sano est, inficias ibit. Istis enim ad plures abeuntibus, purpuratorum singuli servum quendam, vel uxorem ipsam aut filium mactare consueverunt, eo fine, ut defuncto Regi in altera vita adsint servitia. Jugulato huic mancipiorum gregi capita præscindunt, eaque infixis palis circa sepulchretum, horrendo certe spectaculo, erigunt. *v. Er. Franc. lib. cit.*

XXV

Hæc, quæ de monumentorum splendore seu ornatu in medium adduximus, non tam comitantur, quam sequuntur funeris Principum ἐκφορὰν & compositionem. Inde si quis ad funebris actus consequentia referre eadem velit, non repugnabimus; Mausolea enim, quorum structura multorum sæpius annorum spatium requirit, post elatum demum cadauer, sepulchris superstruuntur. Annumeramus hisce νεκροτάφια, quæ memoriæ gratia illustribus viris alibi sepultis, aut religionis causa, sepulturæ plane expertibus erigebantur, ut si nudus in ignota jaceat *Palinurus arena*. Stadius *inania busta & vacua sepulchra* vocat Lib. XIII. Thebaid. *Inane sepulchrum* ejusmodi monumentum nuncupat Ovid. Lib. VI. Metamorph. Fabul. de Progne; *Tumulum honorarium* Svetonius in Claudio ab initio. Taleque Druso in æstivis castris mortuo & Romam è Germania devecto, ibidemque in Martio campo tumulato, ab exercitu prope Rhenum esse excitatum scribit *Budæus* in Pand. *Quorum cadavera*, inquit, *haberi ad sepulchrum non poterant, ut qui peregre abiissent, aut naufragio periissent, iis cenotaphium exstruebatur, quod tantum valebat, quantum sepultura plena.*

XXVI.

A Cenotaphiis hisce ad Epitaphia pergimus, quibus sepulchra exornare consueverunt non nostri modo seculi homines, sed prisca quoque mortalium gens. *Monumenta ut plurimum* inquit *Steph. Job. Stephanius* in *Notis ad Saxon. Grammaticum* p. 2. *operosis titulis & splendidis rescri-*

rescriptionibus insignita erant, quæ rerum a Majoribus præclare gestarum laudes amplissimas complectebantur &c. De Cyri Regis epitaphio supra jam jam fecimus mentionem §. II. Nitocris, (vel ut *Plutarchus* vult, Semiramidis sepulchrum, plusquam regia magnificentia supra portas urbis exstructum, hanc habuisse inscriptionem legitur: *Quicumque Rex pecuniis indiget, aperto monumento, quod voluerit, accipiat.* Quas literas cum legisset Darius, frustra opinatus est, thesaurum ibi reconditum esse in sepulchris: lapide revoluto non quidem pecunias, sed literas alias vidit, ita dicentes: *Nisi pecuniis esses inexplebilis & turpis lucricupidus, defunctorum sepulchra non aperuisses, vid. Herod. lib. I.* Cum Regis Sinensium mater, de qua supra fecimus verba recondere, istius lectum comitabatur selectissimorum juvenum turba, quibus singulis tradita fuerat inscriptio sive epitaphium, defunctæ laudes amplissimas in se continens, quas locis ad id denominatis populo circumstante, pronunciabant publice. Vid. *Dan. Bart. Part. III. Histor. Asiat. lib. 3. pag. 345.* Plura id generis exempla afferre supersedeo, cum amplissima eorum seges ubique habeatur obvia.

XXVI.

Nihil itaque restat, quam ut habita publici luctus ratione, quo & nos, jubente sic æterno Numine, jamjam premimur, de lugendi tempore seu spatio, paucissimis verbis differamus. Quamdiu vero lugendum sit, diversa fuere non tantum apud diversas gentes, sed apud easdem quoque, diversis temporibus, instituta & consuetudines. De temporibus luctus inquit *Jac. Gretzerus lib. I. de Fun. Chr. c. ult.* nihil aliud habeo dicere; quam fuisse incertum tam Ethnicis, quam Judæis & Christianis. Apud Sinenses, subditi Regem & filii Parentem per integrum lugent triennium. Prior ille de Imperatore luctus publico edicto sublatus, & arctioribus terminis circumscriptus est; posterior, qui Parentes concernit, ad trium annorum spatium extenditur, quia per totidem annos ab incunabulis liberi, sollicita Parentum cura, educantur, eorumque brachiis excepti circumferuntur. v. *Exasm. Franc. lib. cit.* Regni Siamensis incolæ, & inter eos Odiæ metropolis cives, elato Regio funere, in domos singuli suos reverti, clausisque foribus & valvis decem dies abscondere se, nec unquam, nisi finito isthoc spatio, prodire in publicum jubentur. *vid.*

92
TK
4850
vid. *Voyages Advent. de Fern. Mend. Pint. c. 184.* Nostris moribus publica
isthæc lugendi consuetudo plerumque annuo circumscribitur spatio,
quæ tamen citius non nunquam, eorum jussu, quorum hac in re versa-
tur autoritas, tollitur.

XXVIII.

His breviter, atque pro ingenii quidem modulo, leviter congestis
subsistimus, humillimis Divinum Numen precibus invadentes, velit im-
posterum *de Natalibus potius, quam Exequiis Principum* scribendi co-
piam clementissime facere. Ipsi interea sit.

L. H. E. G.

ADDITAMENTA.

- I. Minus accurate in Monumentis nostris
sepulchralibus leguntur verba: *Staviator; Siste
viator; viator adsta; aspice viator &c.*
- II. Divinis & naturalibus legibus conve-
nientius, corpora defunctorum sepeliri, quam
comburi.
- III. Non illicitum est, ungi mortuos.
- IV. Dantur & viva defunctorum sepul-
chra.
- V. Intueri monumenta, quæ Regum &
magnorum hominum cineres ac ossa contegunt,
magnum semper habitum est ad virtutem incita-
mentum.



1077

ME

De Sinens
 und Sittre
 tis propinc
 rime defun
 blandissim
 tum capiat
 hortabant
 tium pie
 bus; non a
 apparatus
 æternis ga
 atque imm
 quimur.
 dem pieta
 as cogitav
 fuerunt, c
 delineabo
 consulat;
 sum, prec

Splend
 ta esse d
 aliquan
 dam, extitisse

Equic
 scio, quo fun
 ne minus ab
 primus Mon
 me conspicu
 eri, cum decess

Ausgl. Kunst
 ii convoca
 vita nuper
 n. Eundem
 ibos, ut po
 a, crebro ad
 isthanc gen
 tris pectori
 lectulis, non
 uam indiget
 n excipimus
 cultu profe
 ebitor, si ea
 pum exequi
 e in promptu
 it, exemplis
 i bonique ea
 gitur succes
 mordis cla
 ideo cadaverum
 cultu excipien
 abit.
 entio sit, qui ne
 gari consuetudi
 Cyrus Persarum,
 mento que maxi
 ei, inquit, pu
 reg, in alio aliquo
 lapide

